image
not
available

image
not
available

image
not
available

Digitized by Google

ALT-

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

128. a. 339. ·81·

DISPUTATIO JURIDICO-POLITICA

Quæſtionum aliquot Miſcellanearum,

QUAM

ASPIRANTE DIVINO NUMINE

SUB PRÆSIDIO

VIRI

Magnifici, Nobiliſſimi, & Conſultiſſimi

DN. JUSTI SINOLT COGNOM. SCHVTZ JCTI, CELSISSIMI PRINCIPIS ET DOMINI, DN. GEORGII Haſſorum Landgravii Conſiliarii ac in Academia Marpurgenſi Procancellarii & Profeſſoris primarii, Dn. Præceptoris ac fautoris ſui ætatem colendi.

Publico examini ſubjicit

JOACHIM OTTO RABE von Staeſſhorſt.

Ad diem 26. Aug. horis conſuetis in Collegio ICtorum, ad Lanum.

MARPVRGI CATTORVM,

Excudebat

ILLVSTRISSIMO ET CELSISſimo Principi ac Domino,

DN. PHILIPPO,

HASSIÆ LANDGRAVIO, COmiti in Catzenelnbogen / Dietz / Zigenhain vnnd Nidda /

Domino meo Clementiſſimo.

QUò Tibi Illuſtriſſime Heros exiguum hoc literarium munus ſc. ſtudii mei primitias religioſâ obſervantia dedicarem, partim præcepit mihi Inſignis Clementia Tua qua quondam affectus ſum, cum in Illuſtr. aula tua humillimè Tibi ſervirem: partim ſublimis indoles Tua perquam ſcio Te non tantum vehementer literarum ſtudio delectari, ſed & quod verè Regium decus eſt, inter rara virtutis doctrinæq́ exempla eminere. Cæterũ apud Perſas moribus inſtitutum fuiſſe, referunt hiſtorici, ne quis Regiam Majeſtatem adiret ſine aliquo munere. Nunc quod illa gens conteſtandi amoris ergo Principi ſuo grati animi ſignum remuneraverit non mirum eſt, ſiquidem Ille Paterno quodam affectu erga populũ incitatus nihil commiſerit, quam quod publicam ſalutem promoveret. Nullum autem munus, præter hoc, Illuſtriſſime Princeps, à mea tenuitate proficiſci poteſt Tua clementiâ dignum: Iis enim Tuam Celſitudinem moribus numen finxit, iis caſibus juventutem erudivit, ut heroicis virtutibus

tibus omnibus admirandum exemplum præbueris. Nec deſiiſti ad illum cumulum laureas addere, maxime Heroum & quod feliciſſimum eſt in Principe, labore atq; curis exercite: Adhuc enim mihi intactum eſt, quod in tuis præconiis potiſſimum fulget: Numinis cultus, Patriæ ſalus & rei literariæ cura. Dum hæc ſcribo dum plura quæ ſcribam occurrunt, ſatis mirari non poſſum, quod tantæ felicitatis Princeps floreſcente adhuc ætate coarctare & animum ad altiora Prudentiæ cacumina attollere potueris, quæ tamen maxima pars eò negligenda ducit, quod per nimia fortunæ blandimenta non liceat eis aſpirare ad ſuavitatem literarum! Quæ omnia ad æternitatem famæ conſpirant quibusve Regiis virtutibus Tibi aut par aut major exiſtit nemo. Quod reliquum eſt Te Illuſtriſſ. Princeps una cum Illuſtr. conjunge tua in protectionem ſupremi Numinis, quod per multa ſecula, in ſolatium miſerorum ſubditorum, & Patriæ tranquillitatem cætibus hominum intereſſe & exoptatiſſimo Reipub. ſtatu Celſitudini feliciſſimos ſucceſſus largiri velit, meque Clementiæ Tuæ humilime commendo.

Celſitud. Tuæ æternùm devotus.

Joachim Otto Rabe, von Staefshorſt Auth. & Reſp.

CVM DEO.

QUÆSTIO I.

An impenſæ Studiorum veniant in collationem? & an debitum per filium occaſione ſtudii in vita patris contractum de communibus bonis ſolvi debeat?

QUAMVIS naturalis ratio quæ æqualitatem inter liberos ſervari jubet, prioris quæſtionis affirmativam & poſterioris negativam ſuadere videatur, cum etiam ex contraria prærogativa ac liberorum inæqualitate non rarò maximæ ſimultates exiſtere ſoleant. *l.* 11. C. *fam. herciſ. l.* 17. *c. de collat. l.* 4. *c. comm. divid.* Nos tamen prioris negativam defendere conabimur per *legem* 50. *ff. fam. herciſ.* Hac tamen poſita limitatione. I. Niſi credendi animo non pietate ductus pater miſiſſe comprobatus *d. l.* 50. *ff. fam. herciſc.* etiamſi filius habeat bona propria, quæ adminiſtrat pater, nec tunc enim de bonis ipſius filii pecuniam ſuppeditaſſe videtur *non obſtantibus l.* 34. *de negot. geſt. l.* 43. §. 1. *de adminiſtrat. tut. l.* 5. §. 1. *quand. ex facto tut. Magnif. & Nob. D.* Schütz *diſp.* 17. *t.* 4. 2. niſi pecunia à patre ſtudiorũ cauſa miſſa in pravos & flagitioſos uſus fuerit impenſa. Ex hac verò prioris quæſtionis negativa, fluit poſterioris affirmativa deciſio, nam quia filius tempore diviſionis non tenetur conferre ea, quę pater ſtudiorũ cauſa ſubminiſtravit æquum eſt, ſi adhuc quod ex hac cauſa debeatur, ut non ſolũ is qui contraxit vivo patre debitũ oneretur, ſed cõmune ſit omniũ hæredũ onus hoc debitum *l.* 1. §. 16. *ff. de collat.* huc facit *l.* 5. *c. ad ſenatc. Macedon.* Si modo neceſſarios nõ imoderatos ſumptus fecerit.

QUÆSTIO II.

An fratres poſſint cogi ad numerandum dotem de bonis feudalibus etiam priuſquam ſorores nubant?

Cum dos ſit pecunia marito nuptiarum cauſa & ad ferenda

onera

onera matrimonii conſtituta *l. 7. in pr. de jur. dot.* fieri non poteſt, ut quando nuptiæ tanquam cauſa & finis propter quem datur nondum ſunt ſecutæ, dos conſtituatur. Licet enim matrimonium poſſit eſſe ſine dote tamen dos ſine matrimonio eſſe nequit *l. 3. ff. de jur. dot. & l. 20. C. de donat. ant. nupt.* Quinimò tametſi dos ſoluta eſſet matrimonio, quod forte impedit juris authoritas, non ſubſecuto, dotem ob cauſam matrimonii datam cum fructibus perceptis per condictionem ob cauſam datorum repeti poſſe expreſſè indicat *l. 1. C. de condict. & cauſ. juncta lege. inceſta nupt. 52. ff. de rit. nupt.* Nos igitur in hac ſententia firmiter permanemus cum deficiente causâ ad effectum producendum neceſſariâ deficiat effectus, fratres non poſſe cogi ad dotandas ſorores de bonis feudalibus priuſquam nubant.

QUÆSTIO III.

Milites noſtri temporis an gaudeant privilegiis militum?

Si modernos militum quorundam perverſos mores & antiquorum dexteritatem & diſciplinam ſpectare velimus, ſane hoc noſtro ſeculo nec formam ſaltem ejus & extrema lineamenta ſervamus: Atque ut olim virtutis modæſtiaque nunc petulantiæ certamen cum Lipſio affirmare neceſſum eſt. Cæterum coercitio morum qualis olim fuerit & an in hodierna militia ſit facile depræhendimus ſi quo ad continentiam, modeſtiam & abſtinentiam, quæ virtutes maximè commendant militem, vitam quorumdam examinaveris. Sunt enim qui ita degenerant à robore & virtute aſſuetudine voluptatum, ut etiam ad populandos finitimorum agros tectaque urenda & capienda pecora aliqua, major eorum vis ſit, quam in acie. Verum enimvero unius aut alterius flagitium aliis nocere non poteſt, ſiquidem nemo alterius odio prægravati debet. Quoniam igitur etiamnum hodie in numerum milites referuntur & juramentum præſtant, quod etiam mortem nolint evitare pro reipublicæ ſalute vel à ſignis decedere: Deinde quia eadem prorſus ſunt rationes in militibus noſtris ob quas antiquis talia privilegia dare imperatores judicabant, nempè imperitia literarum, vitæ periculum & ſim. hic ſtatuimus, milites noſtri temporis non minus quam olim gaudere privilegiis ſuis quamdju nimirum in bello juſto

veluti contra Turcam alioſque hoſtes imperii pro Republica dimicant & pro ſanctiſſima religione ſanguinem ſuum effundere parati ſunt. Qui verò renunciaverunt militiæ & inde otio non armis dediti ſunt, ipſi quoque militum privilegiis non amplius gaudent. Privilegium enim conceſſum militibus durat & competit, donec in militia degunt, & ceſſante illâ causâ privilegii ceſſat quoque ipſum privilegium: ita tamen ut & noſtri temporis veterani ſalva habeant priſcorum veteranorum jura. Ipſa quoque adhuc militum Privilegia non unius generis ſunt, quædam enim competunt ipſis omni tempore & loco, quædam verò iis competunt ſaltem quando in expeditione degunt & in præſentiſſimo vitæ periculo verſantur vide *l.5.n.17. C de Teſtam. milit.* quæ adeo diſtinctio etiam noſtris militibus applicanda erit. Reichs Abſcheid *de Anno* 1512. *tit.* vom Ampt der gemeinen Notarien. *Magnif. & Nob. D.* Schütz *diſp.* 8. *th.* 12.

QUÆSTIO IV.

An nobilis æqualiter puniatur cum ignobili?

Cum omne animi vitium tantò conſpectius in ſe crimen habeat quantò major qui peccat habetur, ſanè mirum videtur, quod quidam ex recentioribus Ethicis & JCtis pœnas proportione Arithmetica & ſic citra perſonarum reſpectum infligi volunt, adeoque quæſtionem hanc ſimpliciter & abſque ulla limitatione affirmant. Quidam vero Geometrica quidem utuntur, ſed ita ut nobiles levius quam plebejos puniendos putent. Cum tamen Bartolus *in l.* 1. *C. de cond. lib.* 11. ſentiat. Barones facientes contra ſtatutum Principis debere magis puniri quam alios cives, cum Principi magis ſint devincti. Et quod vir magnus bis peccet non tantum facto ſed & exemplo non ſolum ipſa confirmet ratio. *Cic.* 3. *de LL.* Sed & ſacra ſcriptura eum qui voluntatem Domini ſcit & non exequitur, duplicibus verberibus plectendum aſſerat: Imo nec tutum ſit legibus viris magnis aut bene meritis impunitatis ſpem facere, ut demonſtrat *Machiavell. l.* 1. *diſc. cap.* 24. hoc argumento: quod nunquam conquietura ſit Reſpubl. ab eorum criminibus, dum iſta ſpe quidvis perpetrantes poſtea impunitatem ex legibus ſibi promittent. Hoc ipſum Sigiſmundus Imperator in Comitiis Petrov. anno 1423. diutius celare non potuit, quando ex levitate ſupplicii quo caſtigantur

homi-

homicidia nobilium, nec quenquam ferè in templis ne dum domibus tutum eſſe ait. Unde reprobanda quoque ſummopere conſuetudo quæ in Holſatia invaluit, juxta quam elapſo anno ſceleratiſſimi ex nobilibus homicidæ poſtquam cum interfecti propinquis in gratiam redierint veniam conſequuntur. Nos ergo diſtinguendo tum delicta tum pœnas, quæſtionem decidimus & ſic arbitramur, nobilem quando loquimur de pecuniaria pœna gravius debere puniri quam plebejos inopiâ plerumq; laborantes & inde res ſuas pluris æſtimantes, neque enim hi cum nobilibus quorum multi exiguam pœnam pecuniariam non adeo timent, comparandi ſunt, neq; nobiles cum plebeis eâdem ſummâ quæ forte his ſat gravis, illis vero leviſſima eſſet dimittendi ſunt. Si vero pœna corporalis imponenda tum nobilis aliquando mitius punitur, maximè cum in conſiderationem veniunt merita Reipublicæ præſtita vel præſtanda: Hac tamen interjectâ limitatione, 1. Niſi videlicet nobilitas vel dignitas in qua quis conſtitutus manifeſtò & directò aggravet delictum *l. 14. ff. de pœn. l. 2. ff. de re milit.* 2. niſi à lege pœna ſit determinata, tunc enim æqualiter debent puniri ſive nobiles ſive ignobiles *Bald. in l. nemo. C. de ſum. Trin.* Quod multo magis dicendum erit, ubi ex lege divina pœna venit abſolutè, qualis eſt *Gen. 9. v. 5.* Quicunque profundit ſanguinem humanum, ſanguis ejus viciſſim effundetur. Quæ certe pœna nec ob dignitatem mitigari, neque ullius authoritate remitti debet.

QUÆSTIO V.

An patriæ plus debeamus quam parentibus?

Quod parentes ſummo honore & ſincero amore proſequi debeamus, præter Dei T. O. M. præceptum etiam jus Naturale Gentium & Civile ſatis apertè indicant, & quamvis parentes naturalis ſtimulus ad educationem liberorum hortetur, & voti paterni ſit liberis parare & locupletare eos, *l. nihil. intereſt. §. ſed nunquid ff. de bonis liber.* tamen ingratitudo liberorum tollit debitum naturæ *C. optimè 27. v. hoc autem Nov. 27. de nupt.* Et quando filius erga Patrem ingratus exiſtit, non modo illum alere non tenetur, ſed & exheredare poteſt, *c. 3. verſ. ſi unum Novell.* Et certe quia infans ante partum matri eſt oneroſus in partu doloroſus, poſt partum tam patri quam matri laborioſus, meritò perſona parentum filiis ſancta & honeſta

videri

videri debet *l. libertus 9. ff. de obſeq. parent. & Patron.* Verùntamen nec nobis ſolum & parentibus nati ſumus, ſed & ortus noſtri partem patria ſibi vendicat partem amici: & unicuique noſtrum chari quidem ſunt & eſſe debent parentes, chari liberi & familiares ſed omnes omnium charitates una patria complexa eſt, ut ait Cic. Quo enim communior parens eſt civitas eo plus colenda eſt quàm parentes privati. Unde idem *lib. de offic.* pro maximo vitio habet patriam deſerere proque ea ex ſententia Horatii dulce & decorum eſt mori. Agnoverunt hoc Romani quibus olim nihil æquè incitamentum virtutis addidit, ac amor patriæ: nec magis cuique imputatum fuit, quam Marco Coriolano hoc ipſum quod ad oppugnandā patriam hoſtilia arma moveret. Et nos igitur Patriæ potius quam parentib. parendū eſſe ſi utriq; non poſſimus parere concludimus, moti, præcipuè eleganti textu *l. 35. de Relig. & ſumpt.* ex quo amplius ut & *l. 19. §. 7. ff. de captiv. & poſtlim. receſſ.* manifeſtum eſt, ipſos quoque parentes vice verſâ magis eſſe obligatos patriæ quam liberis.

Quæstio VI.

An ex uſu ſit Reipublicæ deferri magiſtratum per ſucceſſionem?

Quanquam res ardua ſit & controverſiis plena, dum alii anteferunt electionem, alii vero ſucceſſionem potiorem faciunt libet tamen videre cuinam parti credendum. Qui ſucceſſionem commendant, dubio procul his argumentis ſententiam ſuam ſtabilire autumant. 1. Quod uſitata in pluribus regnis ſit ſucceſſio: In Gallia, Hiſpania, Dania & Anglia, quæ ſucceſſione hactenus fuere florentiſſima. 2. Quod naturalis modus conſtituendi magiſtratum artificiali ſit præferendus, 3. Quia qui certam ſpem habent aliquando regnandi, ab infantia artibus feliciter Rempublicam adminiſtrandi imbuuntur. 4. Quia ſpes de aliquo concepta facile eligentes fallit, ſiquidem nævi animorum in quibuſdam occultari poſſunt ut etiam quorum virtutes dum privati viverent conſpicua fuit, poſtea ad ſummum imperium devecti ſæpe in deterius vergant. Schonborn 2. *Polit c. 19.* Quib. tamen non obſtantibus nos in regno electionem potiſſimum probamus, quod cum Rex à nemine cohiberi poſſit aut ad recte faciendum cogi, propria virtute

excellere

excellere debeat. Tametſi vero aliquot imperia per ſucceſſionem delata, hoc tamen nullo modo nos ſtringit, nec enim quod major pars fecerit ſed quid Reipubl. magis conveniat amplectendum eſt. 2. licet ſucceſſio ad naturam magis accedat, tamen per electionem virtute duce rite inſtitutam, ſemper poſſumus idoneum ac optimum accipere Regem. Succeſſio ſæpiſſime offert malum, & ſive bonus qui ſuccedit, ſive non, nihilominus tamen ferendus. 3. Facile concedimus quod plurimum efficiat recta inſtitutio, ſi magiſtri præficiuntur Principibus idonei: verum ſi ingenium ad vitium propendeat; Naturam expellas furca tamen uſque recurret. Denique electores quos præſupponimus prudentes & honeſtos viros eſſe, futuri Principis vitam & mores exacte inquirere poſſunt, ut non niſi digniſſimum eligant. Nec quicquam in eo periculi & ſuſpicionis eſt, quando juramento confirmant, ſe electuros quem judicent omnes ob virtutem excellentiſſimum, quod juris eſt in electione Imperatoris Romani: ex conſtitutiōe *Aur. Bull. Caroli IV.* Accedit quod electo præſcribantur leges quas in gubernatione Reipubl. vinculo juramenti obſervare tenetur *vid. Sleidan. lib. 1. de ſta. Relig.* Quod & auream libertatem conſervare certum eſt. Tacemus multa nunc alia incommoda, quæ ſucceſſionem comitari ſolent, Unum modo attingemus. Si mortuo Rege forte in puerum ſceptra deferantur qui adhuc tantę moli ſuſtinendę impar, Annon periculoſum eſt hoc caſu tutores cum plena poteſtate dari? qui nunquam tam habebunt curam aliarum rerum quam ſuarum, vel facile ad ſe trahere poteſtatem amabunt. Uti inter alia teſtatur exemplū Caſſandri qui Alexandri M. hæredes, quorum tutor erat, interfecit *Iuſtin. l.* 15. Non tamen negamus, quod ubi ſucceſſionem confirmavit conſuetudo & diuturnus uſus omnino obſervari debeat, nec quicquam facile immutandum. Enimverò quæ in ſuo ſtatu eademque manent & ſi deteriora ſint, tamen utiliora ſunt Reipub. his, quæ per innovationem vel meliora inducuntur. *Dion.* unde Cic. qnædam Antonii ſtatuta retinebat, licet mala quod à Platone didiciſſet, Præſentia eſſe ferenda ſi ſine ſcandalo mutari nequeant.

QUÆSTIO. VII.

Vtrum dignior ſit qui ſua virtute inclaruit aut qui Patriam æmulatur nobilitatem?.

Duo nobilitatis fundamenta eſſe nemo inficiabitur, virtutem dignitatemve parentũ & virtutem propriam. Licet enim vulgus quod divitias colit in iis quoq; nobilitatem ponat, ſolæ tamen divitiæ non nobilitant, quia cadunt etiã in perſonas turpes ac infames *l.2.C.de dignit.* His ergo hinc remotis & pro fundamento non admiſſis, pro deciſiõe quęſtionis ſtatuimus, nobili genere qui à parentũ virtute deficit & ſic non tantũ ſe ipſum ſed & totam familiã dedecorat nobilem virtute maximè præferendũ eſſe. Quamvis enim Ariſtot. Nobile dicat quod ex bono prodit genere, nõ tamẽ hoc juvat eos qui à majorum laude & virtute degenerant & ſic non boni prodeunt. Quantò enim vita majorum præclarior tantò horum ſocordia turpior. Quantò genus illuſtrius, tantò plus dedecoris accedit deficientib. Neque verò vera nobilitas imaginibus & ſtatuis, ſed virtute & meritis propagatur. Et quoniam nobilitas generis fundatur ſuper virtute parentum, quorum filii ſunt quaſi partes *l. ſiquis. 11. C. de impub.* merito hi ipſi illam & conſervare & propria laude amplificare debent. Alias iniqui erunt, ſi quod ex aliena virtute ſibi arrogant aliis ex propria negant. *Salluſt.* Illum verò qui nobilitatem generis nova virtute illuſtrat & ſic novum gradum dignitatis adiicit adeoque utroque nobilitatis fundamento nititur, præferendum cenſemus ei qui altero tantum nititur & ſic ex propria virtute ſaltem nobilis eſt. *l.1.§.quæ omnia 9.C.de vet.jur.enunc.*

QUÆSTIO VIII.

Vtrum Magiſtratui iniqua jubenti ſit obediendum?

Affirmativam nonnulli defendere volunt his rationibus, 1. Quod nulli privato liceat adverſus magiſtratum arma ſumere quia à Deo eſt ordinatus. *Rom.13.v.1.* 2. Ob generale mandatum quod Psincipi non debeamus maledicere. *Exod.22.v.28.* Quia 3. qui contrarium faciunt, cæteris rebellandi occaſionem præbent. Siquidem rebellionis ſpecies eſt denegare quæ imperantur. Et quidem in rebus privatam noſtram utilitatem concernentibus ſatius eſt magiſtratui obedire quam contra mandatum Chriſti, qui Tiberiò Cæſari honorem exhiberi juſſit, aliis majoris tumultus anſam offerre. Aliud tamen dicendum, ſi Magiſtratus contra præcepta divina & naturæ leges aliquid mandaverit, tunc enim ſecund. Apoſtolorum reſponſum

ſponſum Deo magis obediendũ quam hominibus, & Deus erit ultor ſeverus impii ac injuſti magiſtratus. *Amos. c.ult. v.*8. 2. Siquæ religioni noſtræ adverſantur, mandat. Quis enim imponat mihi neceſſitatem vel credendi quod nolim, vel quod velim non credendi. Huc pertinet præclarum Stephani Poloniæ Regis dictum. Deum tria ſibi reſervaſſe in quibus nec velit nec poſſit parem habere: Dominari conſcientiis, ſcire futura, ex nihilo aliquid facere. Et ergo hoc in caſu poſſumus tantum id, quod honeſtè poſſumus *l.ff. filius de cond. inſtit.*

QUÆSTIO IX.

Vtrum ille qui jurejurando ad rem præſtandam coactus ſe adſtrinxit teneatur?

Ardua admodum ac difficilis quæſtio eſt, in qua pro affirmativa facit, quod fidei humanæ nihil magis congruat quam ea quæ placuerunt, ſervare *l. 1. ff. de pact.* & ſi tale juramentum conſideremus Deum inſuper teſtem invocemus quod non velimus fallere homines hac in re de qua certum promittimus. Imo Deum juxta vindicẽ in nos imploremus, ſi aliter corde ſentiamus ac ore confeſſi ſumus unde melius videatur eligere jacturam rerum humanarum quod in ſecundo pręcepto ſeverè prohibitum. cum & alias virum bonum non deceat in alterius præjudicium mutare id quod juravit *Pſalm.* 15. Verùm non omne juramentũ obligatorium eſſe inter alia probat *c. non eſt obligatorium* 58. *de R. I. in 6.* ſed legitimũ, non illegitimũ, & vero juramentum vi & metu extortum non ſit legitimum (neque enim prædoni ita favent jura, ut ipſi permittant per metum illatum extorquere juramenta & per ea ſibi homines arctius obligare) concludimus cum Imperatore ipſo *auth. ſacramenta puberum. C. ſi adverſus vendit.* per vim & juſtum metum extorta juramenta nullius eſſe momenti.

QUÆSTIO X.

Vtrum is qui calore iracundiæ damnum alicui infert, ſit excuſandus?

Et ſi pro affirmativa ſententia rationes hæ facere videantur, quod actus agentium non operentur ultra intentionem *l. non omnes. ff. ſi cer-*

ff.ſi certum pet. 1. quod iratus æquiparetur inſano. Unde Horatius iram brevem furorem nominat. Quod tertio quicquid calore iracundiæ vel fit vel dicitur non prius ratum ſit quam ſi ex perſeverantia appareat judicium animi fuiſſe, ut habet *l. 40. ff. de R. I.* Contrarium tamen probari videtur *per l. 51. §. 2. ff. ad l. Aquil.* Et omnino intereſt Reipublicæ ne delicta maneant impunita nec alterius naturæ vitium alteri debet eſſe incommodo & detrimento. Nobis igitur perplacet diſtinctio, quam ponit *Nobiliſſ. D. Libenthal. in colleg Ethic. diſput. XI. quæſt. 6.* Utrum ſcilicet quis juſto dolore commotus aliquem calore iracundiæ offenderit, an verò ex levi aliqua cauſa vel naturæ vitio id fecerit. Priori caſu homicidii vel alius delicti pœnam mitigari probamus, cum difficilimum ſit juſtum dolorem temperare *l. 38. §. Imperator ff. ad L. Iul. de adult. demonſt.* ſecundo verò caſu pœnam ordinariam non effugiet qui iracundiam ſuam moderare non potuerit.

F I N I S.

Digitized by Google

Österreichische Nationalbibliothek
+Z15912750X

Digitized by Google

Digitized by Google